

inimicis vivunt homines, sed animas, in quibus non moriuntur, occidunt. Vigilat contra negligentiam memoria, contra pertinaciam misericordia, contra superbam verecundiam submissa prudentia. *Aug. in serm. de 40.*

7. In hac petitione si mentitur, totius orationis nullus est fructus, pecuniam aliquando repetere conceditur, sed debilis peccatorum petenti veniam, nunquam julte negatur. *Aug. super ill. Matth. 6. Et dimitte nobis debita.*

8. Gratia tua deputo et misericordiae, quod peccata mea tanquam glaciem solvisti: gratia tua deputo, et quaecumque non feci mala, quae enim non facere potui, et omnia mihi dimissa esse fateor, et quae mea sponte feci mala, et quae te duce non feci. *Aug. 2. lib. confessio.*

9. Beneficium se putabat accepisse augustae memoriae Theodosius, cum rogaretur ignoscere, et tunc propior erat veniae, cum fuisset commotio major iracundiae, et optabatur in eo, quod timebatur in aliis, ut irasceretur, hoc erat remedium reorum, qui cum haberet supra omnes potestatem, quasi parens postulari malebat, quam quasi iudex punire, aequitatis iudex, non poenae arbiter: qui nunquam veniam confitenti negavit. *Ambr. de obitu Theo.*

10. Discas frequenter ignoscere nec indignationem tenere. Nihil est enim quo possit offendi, cui ignoscendi est consuetudo. *Ambr. super Lucam.*

11. Tantae pietatis est Dominus Jesus, ut ipsi Judae donaret veniam, si Christi expectasset misericordiam. *Ibidem.*

12. Pulcherrimum affectandae conversationis exemplum, quod tam cito latroni venia relaxatur, et uberior gratia quam precatio; semper enim plus tribuit quam rogatur. *Ambr. sup. Matth.*

13. Non usque septies, sed usque septuagies septies: id est, quadringentis, et nonaginta vicibus, ut toties peccanti fratri dimitteret in die, quoties ipse peccare non posset. *Hier. super Matth. lib. 3.*

14. Si peccaverit in nos frater noster, et in qualibet causa nos laeserit, dimittendi habemus potestatem, imo necessitatem: quia Dominus praecipit, ut debitoribus nostris debita dimittamus. Si autem in Deum quis peccaverit, non est nostri arbitrii, ut dicit Scriptura. Si autem peccaverit homo in hominem, rogabit pro eo sacerdos: si autem peccaverit in Deum, quis rogabit pro eo? et nos econtrario in Dei injuria benigni sumus, et in nostris contumeliis odia exercemus. *Hier. super ill. Matth. 24. Si peccan. in te fra, tuus.*

15. O formidolosa sententia, si parva fratribus non dimittimus, magna nobis a Deo non dimittuntur. *Ibid. super ill. Si non remi. pec.*

16. Apud misericordem judicem nequaquam sine venia culpa relinquitur, quum per fervorem zeli ex ejus amore peccatur. Saepe namque magnis hoc doctoribus mirandisque contingit, quod ut alta charitate fervent, modum correctionis exaggerent, et lingua aliquid, quod non debet, dicat, quia mentem dilectio quantum debet inflammat, sed verbum prolatae contumeliae tanto citius partitur, quanto et ex qua radice prodeat pensatur. *Greg. in Moral.*

17. Peccatores, qui operum peccata deplorant, debent praesumere de misericordia, quam postulant, non enim pie Dominus ante delinquentium oculos flenda peccata opponeret: si per semelipsum ea districte ferire voluisset. *Greg. in pastoral.*

18. Sciendum est, quod qui dimittit, et non dat, et minime dimittit: omnino misericordiam nullam facit, quia ab omnipotente Deo munus ex manu non accipitur, quod obligato corde ex malitia profertur. *Greg. in Moral.*

19. Si hoc, quod in nos delinquitur, ex corde non dimittimus, et illud rursus exigitur, quod nobis iam per poenitentiam dimissum fuisse gaudebamus. *Ibidem.*

20. \* Plurimum interest quo animo quisque parcat: sicut enim aliquando est misericordia puniens, illa et crudelitas parcens. *August. ad Maced. epist. 64.*

21. \* Cito parcendum injurianti, ne veniae viam tibi intercludas. *Aug. lib. 4. de Civ. Dei. c. 4.*

22. \* Veniam delicti assequutus, si iterum peccat, grave iudicium sibi preparat. *Basil. in sum. moral.*

23. \* Sis humilis ad petendam veniam, facilis ad dandam: et sic membra erunt in pace. *Bernar. de verb. Apost. serm. 1.*

24. \* Iudex veniam dare peccatis non potest, quia voluntati servit alienæ: Deus autem potest, quia legis suæ dispensator ac iudex. *Tertull.*

25. Sunt aliqui sic donantes injuriam, ut non ulciscantur, quum tamen sæpius improperant. Sunt alii, qui licet sileant: manet tamen alta mente repostum, et rancorem tenent in animo: quarum neutra plena indulgentia est: longe ab his omnibus benignissima divinitatis natura libenter agit, ignoscit plenarie: ita dicunt: non propter fiduciam pecco, sed penitentiam. Ubi abundavit delictum, solet et gratia superabundare. *Bern. super Cant.*

26. Tam liberaliter Dominus omnem donavit injuriam, ut jam nec damnet ulciscendo, nec confundat improperando, nec minus diligat imputando. *Ibidem.*

27. Omnino propter mansuetudinem, quæ in te prædicatur, currimus post te, Domine Jesu, audientes quod non spernas pauperem, peccatorem non abhorreas, non horruisti confitentem latronem, non lachrymantem peccatricem, non Chananæam supplicantem, non deprehensam in adulterio, non sedentem in telonio: non supplicantem publicanum, non negantem discipulum: non persecutorem discipulorum, non ipsos crucifixores tuos. In odorem horum unguentorum currimus. *Ibidem.*

28. Multi aliorum vitia cernunt, sua non aspiciant: et cum ipsi maximis criminibus obnoxii teneantur, peccata minora fratribus non dimittunt. *Isid. lib. 3. de sum. bon.*

29. Qui captivos redimere, et pauperes pascere vel vestire non prævalet, contra nullum hominem odium in corde reservet, et inimicis suis non solum malum pro malo non reddat, sed etiam diligat: et pro eis orare non desinat, certus de misericordia, vel

de promissione Domini sui: libera conscientia ante tribunal Christi dicere poterit: *Da domine, quia dedi; dimitte quia dimisi. Cæsarius in admonitione secundi.*

30. Homo sine peccato esse non potest: et vis semper tibi dimitti totum, dimitte semper: quantum vis dimitti tibi, tantum dimitte. Quoties vis dimitti tibi, toties tu dimitte: imo quia vis totum dimitti tibi, totum dimitte: homo, intellige, quod remittendo alii, veniam tibi tu ipse dedisti. *Petr. Chry. ser. 67. sup. ill. Domi. nobis.*

31. Dimittenda sunt debita, non pecuniæ solum, sed omnium causarum, culparum, criminum, quidquid homo incurrere poterit, in his tibi, quum incurrerit alter, ignosce: fidens peccatis suis, veniam petit, qui peccanti libenter ignoscit. *Ibid. in ser. 68.*

32. \* Venia in ullione melior est: illa namque mitis est ingenii: hæc autem ferini. *Apud. Stop.*

33. Nulla fit negligentia venia, ubi de salute certatur. *Veget. de remi. l. 2.*

34. Magnarum virium est negligere lædentes. *Sen. de morib.*

35. Optimum est semper ignoscere, tanquam si tu ipse quotidie pecces. Alteri sæpe ignoscito, tibi nunquam. *Senec. in Prov.*

Vide etiam in tit. Compassio, núm. 17. in tit. Communitas, núm. 1. in tit. Confessio, núm. 29. in tit. Correctio, núm. 70. in tit. Desperatio, núm. 9. in tit. Eleemosyna, núm. 3. in tit. Eucharistia, núm. 12. in tit. Inimicitia, núm. 1. in tit. Injuria, núm. 1. in tit. Ira, núm. 6. in tit. Magnanimitas, núm. 5. in tit. Oratio, núm. 2, 6. in tit. Patientia, núm. 32. in tit. Pœnitentia, núm. 25. in tit. Reconciliatio, núm. 5. in tit. Recidivatio, núm. 5. in tit. Resurrectio, núm. 6.

## VERBUM.

1. Simul pluit Dominus super segetes et super spinas; sed segeti pluit ad horreum, spinis ad ignem:

et tamen una est pluvia: sic verbum Dei omnes compluit, videat quisque qualem radicem habeat: videat quisque quod trahit pluviam bonam: si eam trahit, ut general spinas, numquid pluvia Dei accusanda est antequam veniat ad radicem? dulcis est pluvia illa, dulce est verbum Dei, donec veniat ad cor malum. *August. de benedict. Esau. et Jacob.*

2. Custoditio verborum Dei intelligenda est operatione præceptorum: frustra enim custodiuntur memoria, si non custodiuntur et vita; nam verba Dei tenendo agunt quidem, ne obliviscantur: nec agunt vivendo, ne corrigantur. *Aug. super Psalm. In quo corrigit.*

3. Quid vobis plus esse videtur verbum Dei, aut corpus Christi? Si vultis verum respondere, hoc utique dicere debetis, quod non sit minus verbum Dei, quam corpus Christi: et ideo non minus reus, qui verbum Dei negligenter audiverit, quam ille, qui corpus Christi in terram negligentia sua cadere permisit. *August. in quodam serm.*

4. Quisquis verbo Christi pascitur, terrenum pabulum non requirit. Nec enim potest panem seculi capere, qui pane reficitur Salvatoris. Negligit famem corporis, qui pabulo lectionis intendit, nec ventris curam habere poterit, qui alimentum cibi cœlestis acquirit. Ipsa enim est omnium refectio, quæ saginat animam, quæ impinguat viscera, quum de divinis scripturis cibum eloquii perennis accipimus. *Ambr. in serm. de 40.*

5. Quomodo possunt verba Dei dulcia esse in faucibus tuis, in quibus est amaritudo nequitiae? *Ambr. sup. Beati immaculati.*

6. Plus est verbi pabulo victuram in perpetuum mentem reficere, quam ventrem morituræ carnis tereno satiare. *Greg. in ho. 6. su. evan.*

7. Verba Dei tunc verius mens intelligit, quum in eis semetipsam quærit. *Gregor. in moral.*

8. Quærit anima verbum, cui consentiat ad correctionem, quo illuminetur ad cognitionem, cui in-

nitatur ad virtutem, quo reformetur ad sapientiam, cui conformetur ad decorem: cui maritetur ad fœcunditatem, qua fruatur ad jucunditatem. *Bern. super Cant. serm. 85.*

Vide etiam in tit. Anima, núm. 17. in tit. Inimicitia, núm. 2. in tit. Maria, núm. 5. in tit. Pietas, núm. 10.

### VERECUNDIA.

1. Pulchra virtus est verecundia et suavis gratia, quæ non solum in factis, sed etiam in ipsis spectatur sermonibus, ne modum progrediaris loquendi, ne quid indecorum sermo resonet tuus. Speculum enim mentis plerumque in verbis refulget, ipsum vocis sonum liberet modestia, ne cujusquam offendant aurem, vox fortior denique in ipso canendi genere, prima disciplina verecundia, imo in omni usu loquendi. *Ambr. de Offic. lib. 1. c. 19.*

2. Tacebat in periculis Susanna, et gravius verecundiæ, quam vitæ damnum putabat, nec arbitrabatur periculo pudoris tuendam salutem; soli Deo loquebatur, cui poterat casta verecundia eloqui, refugiebat ora intueri virorum. *Ibidem.*

3. Est enim verecundia pudicitiae comes, cujus scietate castitas ipsa tutior est. Nonne hæc prætulit publicanum, et commendavit eum, qui nec oculos suos audebat ad cœlum levare? Paulus orationem deferri præcepit cum verecundia et sobrietate. *Ibidem.*

4. Verecundia, cum sit omnibus ætatibus, personis, temporibus et locis apta, tamen adolescentes juvenilesque annos maxime decet, ut artifex in materia commodiore melius operari solet: sic verecundia, in ipso quoque corporis decore plus eminet. Ita tamen, ut etiam ipse non sit affectatus decor corporis, sed naturalis, simplex, neglectus magis quam expeditus. *Ibidem.*

5. Hominem vereris præsentem, Dei Patris et Filii, et Spiritus sancti non vereris præsentiam. *Ambr. super Beati immaculati.*

6. Ubique in virgine comes singularum virtutum est pudor: hic individuus debet esse virginitatis, sine quo non potest esse virginitas: teritur officiis pudor, audacia emicat, risus obrepit, modestia solvitur, dum urbanitas affectatur. *Ambr. de virgi.*

7. Erubescere debemus, et condemnare peccatum, non defendere; quoniam pudore culpa minuitur, defensione cumulat. *Ambr. de morte Abel et Cain.*

8. Ingenia liberaliter educata facilius verecundia, quam metus superat, et quos tormenta non vincunt, interdum vincit pudor. *Hieron. ad Pammach. de morte Pauli.*

9. Sit sermo virginis pudicus, modestus et rarus, nec tam eloquentia pretiosus, quam pudore. Est etiam in ipso motu, habitu, incessu verecundia. *Ibidem.*

10. Quidquid pudet dicere, pudeat etiam cogitare. *Ibidem.*

11. Frontem cordis imprudentia atterit culpa frequens: atque quò crebrius admittitur, eò de illa committentis animus minus verecundatur. *Greg. in ho.*

12. Sicut verecundia laudabilis est in malo, ita reprehensibilis est in bono. Erubescere enim malum, sapientiæ est; bonum verò erubescere, fatuitatis. Qui erubescit mala pœnitendo, quæ fecit, ad vitæ libertatem pervenit: qui vero erubescit bona facere, à statu relictitudinis cadit, atque ad damnationem tendit: sicut per Redemptorem dicitur. *Qui me erubescit et meos sermones, etc. Greg. in ho. 10. super Ezech.*

13. Quid amabilius verecundo adolescente? quam pulchra et quam splendida gemma morum est verecundia, in vita et vultu adolescentis, quam vera et minime dubia bonæ spei nuntia, bonæ indolis index! Virga disciplinæ, expugnatrice malorum, propugnatrice puritatis innatæ, specialis gloria conscientiæ, famæ custos, vitæ decus, virtutis sedes, virtutum primitiæ, naturæ laus et insigne totius honesti. *Bern. super Cant. serm. 86.*

14. Verecundia soror est continentiæ: nullum æque manifestum iudicium columbinæ simplicitatis, et ideo

etiam testis est innocentiae, lampas pudicitiae mentis jugiter lucens, ut nihil in ea turpe vel indecorum residere attentetur, quod non illa illico perdat. *Ibid.*

15. Hæc dicentibus erubescenda essent, si à facientibus præsumpta non fuissent, nunc autem sustineat in audiendo verecundiam, qui noluit in faciendo habere disciplinam. *Hug. de institut. novit.*

16. Pudoris etiam disciplinam inter defuncta corpora natura discernit. At si quando cadavera necatorum fluctibus evehuntur, virorum supina fluctuant, prona sceminarum. *Soli. lib. de mirab.*

17. Custos virtutum omnium dedecus fugiens, et laudem maximam consequens, verecundia est. *Cic. de Ora.*

18. Verecundia, parens est omnis honesti consilii, tutela solennium officiorum, magistra innocentiae, chara proximis, accepta alienis, omni loco omni tempore favorabilem præ se ferens vultum. *Val. Max.*

19. Bonum in adolescente signum est, quum illi ex alto rubor suffunditur: magis in juvenibus apparet quibus et plus caloris est, et tenera frons: veteranos nihilominus et senes tangit. Quidam autem non magis, quam quum erubuerint, timendi sunt quasi omnem verecundiam effuderint. *Sen. 11. epist.*

20. Artifices scenici hoc indicio imitantur verecundiam: dejiciunt vultum, verba submittunt, figunt in terram oculos, et deprimunt ruborem sibi exprimere non possunt, nec prohibetur hinc, nec adjicitur, nihil adversus hunc sapientia proficit, sui juris est, injussus venit, injussus discedit. *Ibidem.*

21. Nutriendus est pudor, qui quamdiu in animo duraverit, aliquis erit bonæ spei locus. *Sen. epist. 25.*

22. Recta ingenia debilitat verecundia, prava confirmat audacia. *Senec. in Prov.*

23. Turpia ne dixeris, paulatim enim pudor per verba disculitur. *Ibidem.*

24. Verborum turpium licentia impudentiæ nutrit. *Ibidem.*

Vide etiam in tit. Confessio, núm. 32. in tit. Conversatio, núm. 28. in tit. Correctio, núm. 27.

## VERITAS.

1. Veritas dulcis est, et amara quando dulcis est parci: et quando amara, curat. *August. ad Christ.*

2. Veritas panis est: mentes reficit, nec deficit, mutat vescentem, nec ipsa in vescentem mutatur. *Aug. super Joan.*

3. Veritatis et sapientiæ pulchritudo, nec multitudine audientium constipata excludit venientes, nec peragitur tempore, nec mitigatur locis, nec nocte interrumpitur, nec umbra intercluditur, nec sensibus corporis subjacet. *Aug. lib. de liber. arbit.*

4. Si de veritate scandalum sumitur, utiliùs permittitur nasci scandalum, quàm veritas relinquatur. *Ibidem.*

5. Nullus reprehensor formidandus est amator veritatis. Etenim aut inimicus reprehensurus est aut amicus: si inimicus insultat, ferendus est: amicus autem, si errat, docendus est; si docet, audiendus. *Aug. l. 2. de Trinit.*

6. Incomparabiliter pulchrior est veritas Christianorum quàm Helena Græcorum. *Aug. in epist. ad Hier.*

7. Errat quisquis se veritatem cognoscere putat, qui adhuc nequiter vivit. *Aug. lib. de agone Christian.*

8. Qui veritatem occultat, et qui prodit mendacium, uterque reus est: ille, quia prodesse non vult, iste, quia nocere desiderat. *Ibidem.*

9. Liberè enim et sine adulatione veritatem prædicantes, et gesta, pravæ vitæ arguentes, gratiam non habent apud homines. *Ambr. in glo. sup. ill. 1. ad Cor. 6. Nos nobiles.*

10. Hæc est conditio veritatis, ut eam semper inimici persequantur: sicut per adulationem pernitiosæ amicitia comparantur: libenter enim quod delectat audimus, et offendit omne, quod nolumus. *Hier. super ill. ad Galat. 4.*

11. Mentiri atque jurare lingua tua prorsus ignoret: tantusque in te sit veritatis amor, ut quidquid dixeris, juratum putes. *Hieron. in Celant.*

12. Non meretur audire veritatem, qui fraudulentè interrogat. *Hier. super Ezech.*

13. Nihil est ad defendendum pbritate tutius, nihil ad dicendum, veritate facilius. *Gregor. in hom.*

14. Ille veritatis defensor esse debet, qui quum rectè sentit, loqui non metuit, nec erubescit. *Ibidem.*

15. Qui necessitate cogente vera Dei dona loquitur, tantò magis humilitati jungitur, quantò et veritati sociatur. *Ibidem.*

16. Bonorum mens quò duriora pro veritate tolerat, eò æternitatis præmia certius sperat. *Greg. lib. 10. Moral.*

17. Inquirimus veritatem in nobis, in proximis, in sui natura. In nobis, nosmetipsos dijudicando: in proximis, eorum malis compatiendo: in sui natura, mundo corde contemplando. *Bernar. de gra. hu.*

18. Cum sint tres gradus seu status veritatis, ad primum ascendimus per laborem humilitatis, ad secundum per affectum compassionis, ad tertium per excessum contemplationis. In primo veritas reperitur severa, in secundo pia, in tertio pura. Ad primum ratio ducit, qua nos discutimus: ad secundum affectus producit, quo aliis miseremur: ad tertium puritas rapit, qua ad invisibilia sublevamur. *Ibidem.*

19. Veritas sola liberal, sola salvat, sola lavat. *Bern. in serm.*

20. Non amat veritas angulus, non ei diversoria placent. In medio stat, communi vitæ disciplina, communibus studiis delectatur. *Ibidem.*

21. Talis est conditio falsitatis, vel erroris, ut etiam nullo sibi adsistente consenescat ac defluat; talis autem ediverso veritatis status, ut etiam multis impugnantibus suscitetur, et crescat. *Chrys. de laudi. Pau. ho. 5.*

22. Non solum proditor est veritatis, qui mendacium pro veritate loquitur, sed qui non liberè pronuntiat veritatem, quam pronuciare oportet; aut non liberè defendit veritatem, quam defendere oportet. *Chrys. super Matth.*

23. Si propter timorem mortis tacere veritatem, impietas est, quomodo non est major impietas propter miserum ventrem et honoris vani spem, tacere veritatem? Videtur meliorem facere gratiam panis et honoris, quam gloriam veritatis. *Ibidem.*

24. Veritas, rerum atque utilitas semper á paucis sapientibus melius invenitur, quam per multitudinem clamorosa discutiatur: multitudo enim onerosa nihil habet honesti. *Cass. in quadam epist.*

25. \* Tantam semper potentiam veritas habuit, ut nullis machinis, aut cujusquam hominis ingenio, aut arte subverti potuerit: et licet in causa nullum patronum aut defensorum oblineat, tamen per seipsam defenditur. *Cicer. in Vati.*

26. \* Multorum improbitate depressa veritas emergit, et innocentiae defensio interclusa respirat. *Ibid. pro Cluent.*

27. \* Est interdum ita perspicua veritas, ut eam infirmare nulla res possit: interdum tamen est adhibenda vis veritati ut eruatur. *Ibidem.*

28. \* Puerilia, sommus, imprudentia, violentia, insaniam, ejus generis sunt á quibus sapientissime veritas auditur. *Ibidem. in Top.*

29. \* Hominis est propriae veri inquisitio atque investigatio. *Ibid. 1. Offic.*

30. Divites cum omnia habeant, unum illis deest, scilicet qui verum dicat. Si enim in clientelam felicitatis hominis, potentumque perveneris, aut veritas, aut amicitia perdenda est. *Senec. in quadam epist.*

31. Magna est vis veritatis, quae contra omnium ingenia, calliditatem, solertiam, et contra fictas hominum insidias facile se per seipsam defendit. *Sen. in epist.*

32. Nimum altercando veritas amittitur. *Senec. in Prov.*

Vide etiam in tit. Adulatio, núm. 2, 4. in tit. Amicitia, núm. 2, 10. in tit. Amor, núm. 2, 4. in tit. Consuetudo, núm. 26. in tit. Correctio, núm. 29. in tit. Doctrina, núm. 61, 62. in tit. Exercitatio, núm.

11. in tit. Miseria, núm. 10. in tit. Periculum, núm. 3. in tit. Prædicatorio, núm. 8. in tit. Quarere, núm. 7. in tit. Sapientia, núm. 2. in tit. Scandalum, núm. 3. in tit. Tribulatio, núm. 27.

## VICTORIA.

1. Non est gloriosa victoria, nisi ubi fuerint laboriosa certamina. *Ambr. de Offic.*

2. Verè tuta pro Christo, et cum Christo pugna, in qua, nec vulneratus, nec postratus, nec concultus fraudaberis á victoria, tantam ne fugias: sola causa, qua perdere possis victoriam fuga est, fugiendo potes illam amittere, moriendo non potes: et beatus, si pugnando moriaris, quia mox coronaberis. *Senec. in epist.*

3. Victoria sine adversario brevis est laus: bis vincit, qui se vincit in victoria, bis interimitur, qui suis armis perit. *Senec. in Prov.*

Vide etiam in tit. Bellum, núm. 26, 33, 49, 50. in tit. Injuria, núm. 16. in tit. Pœnitentia, núm. 41.

## VITIUM.

1. Tibi non tam expellenda sunt vitia, quam re-fellenda. Quid utique facilius est, non suscipere, quam suscepta semel deponere: nec eorum tanta dulcedo est ut ea debeamus præferre virtutibus, cum nec in omnibus sit delectationis illecebra, et á plerisque etiam ea, que videntur dulcissima, respuantur. *Hier. ad Demetr.*

2. Duo sunt ex omnibus vitia, quae maximè homines decipiunt sui voluptate, gula scilicet, ac libido, quae deponere eò difficilius est, quò eis uti dulcius: et hæc vitia tam molesta, tamque delectatione sui periculosa, ita á multis calcari vidimus, ut tota ætate sua virgines permanserint in sua abstinentia, ut de illis laceam, qui post deliciarum longum luxum, et inveteratum usum libidinis, et castitati ac temperantiae

se dederunt: et utriusque virtutum contraria sibi virtute mutaverunt. Aliorum vitiorum est longè diversa ratio, quæ cum nihil jucunditatis, sed multum amaritudinis habeant: quæ cum ad vitandum sint faciliora, rarò tamen á quibus vitentur inveniunt. *Ibidem.*

3. Quid, oro, invidio delectationis præstat invidia? Quid alter ab odio mercedis accipit? Quid iracundo furor suus, confert? Similiter curre per singula, et invenies tot animæ tormenta, quod vitia: quæ utique eò facilius vinci possunt, quò nulla nos alicuius voluptate. *Ibidem.*

4. Summa tibi scientia, summa notitia sit, vitia virtutesque distinguere: quæ quamquam sibi contraria semper sint, aliqua tamen ex eis tanta junguntur similitudine, ut discerni omnino vix possint. *Ibidem.*

5. Quidam superbiam libertatis loco ducunt, adulationem pro humilitate suscipiunt, malitiam prudentiæ vice amplectuntur, et stultitiæ simplicitatis nomen imponunt: hac fallaci ac pessima similitudine decepti, vitis pro virtutibus gloriantur. *Ibidem.*

6. Sunt quædam vitia quasi per quamdam cognitionem sibi propinqua: sicut dissolutio spiritus, appetitus gulæ, et immunditia luxuriæ, multiloquium, fallacia, atque perjurium. Ex dissolutione spiritus mens ad ingluviem ventris rapitur: et dum cibus venter extenditur, ad luxuriam caro trahitur. Ex multiloquio fallacia generatur, quia difficile est, ut qui multa loquitur, non etiam mentiatur: et sæpe mendacium etiam perjurio tegitur, ut ante humana judicia veletur. *Greg. super Ezech. hom. 12.*

7. Si forti nos studio contra vitiorum incentiva stringimus, ipsa etiam vitia ad usum virtutis immutamus. Nonnullos namque ita possidet: sed hanc ad defensionem justitiæ in vocem liberæ auctoritatis immutant, nonnullos fortitudo carnis illecebrat, sed dum exercendis piis operibus corpus subdunt, unde iniquitatis stimulum passi sunt, inde pietatis lucra merentur. *Gregor. in Moral.*

8. Quamvis per omne vitium quod perpetratur,

humano cordi antiqui hostis virtus infunditur; in hac tamen nequitia, id est, invidia, tota sua viscera serpens conculit, et imprimendæ malitiæ pestem vomit. *Ibidem.*

9. Prima vitia deceptæ menti quasi sub quadam ratione se ingerunt, sed quæ sequuntur, dum mentem, ad omnem insaniam protrahunt, quasi bestiali clamore mentem confundunt. *Ibidem.*

10. Capitalia vitia tanta sibi conjunctione conjunguntur, ut non nisi unum de altero proferatur: prima namque superbiæ soboles inanis est gloria, quæ dum oppressam mentem corruperit, mox invidiam gignit quia nimirum dum vani nominis gloriam appetit, ne quis hanc alius adipisci valeat, tabescit invidia, iram generat; quia quantò interno livoris vulnere animus sauciatur, tantò etiam mansuetudo tranquillitatis amittitur. Ex ira tristitia oritur: quia turbata mens quo inordinate se conculit, eò adjiciendo confundit, tristitia ad avaritiam derivatur: quia dum confusum cor, bonum lætitiæ in semetipso intus amisit, unde consolari debuerat, foras quærit, et tantò magis exteriora bona adipisci desiderat, quantò gaudium non habet, ad quod intus recurrat. *Ibidem.*

11. Vitium, est affectus naturalis præter ordinem, et supra mensuram ordinem transgrediens, quando movetur ad ea, quæ non debet: mensuram excedens, quando movetur plusquam debet. *Hugo.*

12. Iniqua via est, quæ nos perducit ad vitia: recta verò virtutum, quæ nobis indulgentiam tribuit ad salutem. *Cass. super ill. psalm. Omnem viam iniq.*

13. \* Vitia nostra, quæ amamus, defendimus: et malum excusare illa quàm excutere. *Sen. ep. 117.*

14. \* Serpunt vitia, et contractu nocent, et in proximum quemque transiliunt. *Ibid. de tranq. vit.*

15. Multum prodest vitia projecisse, si cum alienis rixandum est. *Sen. 22. epist.*

16. Vitia te mercede sollicitant, avaritia pecuniam promittit, luxuria multas ac varias voluptates, ambitio purpuram et plausum, et ex hoc potentiam, et quidquid potentia ponit. *Sen. 59. epist.*

17. In vitia alter alterum trudimus: quomodo ad salutem revocari potest, quem nullus retrahit, et populus impellit? *Sen. 40. epist.*

Vide etiam in tit. Consuetudo, Fraus, núm. 2. in tit. Virtus, núm. 3, 12, et 26.

### VIOLENTIA.

1. Nemo invitus benè agit, etiamsi bonum est, quod facit. *Aug. lib. 1. confes.*

2. Multa enim bona præstantur invitis, quando eorum consulitur utilitati, non voluntati: qua ipsi sibi inveniuntur esse inviti. *Aug. in Enchir. c. 72.*

3. In ecclesia non coactum, sed acquiescentem oportet ad meliora converti. Non est enim qui curare possit invitum. *Christ. in dial. lib. 2.*

4. Plus valet quod violentia cogit, quàm quod suadet, et præcipit verecundia. *Val. Max. lib. 5.*

5. Nulla res tam facilis, quin difficilis sit, si invitus facias. *Sen. in epist.*

6. Da operam, ne quid unquam invitus facias. Non enim qui jussus aliquid facit, miser est, sed qui invitus. Itaque sic animum componamus, ut quidquid res exigit, id velimus, et in primis finem nostri sine tristitia cogitemus. *Sen. 62. epist.*

Vide etiam in tit. Securitas, núm. 2.

### VIRGINITAS.

1. Quid prodest integra caro, mente corrupta? Melius est humile conjugium, quàm superba virginitas. *Aug. super Psal. 26.*

2. Quæ est virginitas mentis? integra fides, solida spes, sincera charitas. *Aug. super Psal. 17.*

3. Dominica virgo debet agnoscere, quibus præceptis conveniat insistere, vel à quantis vitiis debeat abstinere; si vult in seculo posita cum Deo esse, et cum eodem post hujus vitæ resolutionem in claritate cœlesti regnare. *Aug. in lib. ad sacras virgines.*

4. Dominica virgo primitus publicos debet vitare conspectus, et platearum frequentiam devitare: atque in domo posita operi lanificio insistere, vel lectioni divinæ. *Ibidem.*

5. Dominica virgo nec ornatu capitis, nec habitu comæ, nec oculis erectis aut lætis, sed crinibus ad terram cum vultu demisso procedat, nec in se viles inducat amores: et si non pereat, aliis causa perditionis existat. *Ibidem.*

6. Dominica virgo ab omni inverecundo sermone vel risu debet se penitus abstinere et cum silentio, et disciplina omnem vitam suam ornare. *Ibidem.*

7. Dominica virgo, ut docet Apostolus de viduis, casta judicari non potest sermone garrula, aut loquacitate verbosa, vel curiositate superflua, imo prostituta et ad luxuriam magis accendi. *Ibidem.*

8. Dominica virgo nec sermonis jactantia, nec divitiis, nec generis nobilitate se debet extollere, sed in humilitate et paupertate spiritus Christo accepta, debet, quamdiu vixerit, permanere. *Ibidem.*

9. Bona pudicitia conjugalis, sed melior continentia virginalis vel vidualis. *Aug. de S. viduit.*

10. Quanta est virginitatis gratia quæ meruit à Christo eligi, ut esset corporale Dei templum, in qua corporaliter habitavit plenitudo divinitatis: virgo genuit mundi salutem, virgo peperit vitam universorum. *Ambr. lib. de Offic.*

11. Supergreditur virginitas conditionem humanæ naturæ, per quam homines angelis assimilantur. Major tamen est victoria virginum, quàm angelorum. Angeli enim sine carne vivunt, virgines verò in carne triumphant. *Ambr. in l. de vid.*

12. Non fallit veritas, non circumscribit justitia, non decipit virtus: quod si non creditis oraculo, saltem credatis exemplo. Memoria vestra dudum, puella nobilis seculo, nunc nobilior Deo, cum urgeretur ad nuptias à parentibus et propinquis, ad sacrosanctum altare confugit. Quò enim melius virgo confugeret, quàm ubi sacrificium virginitatis offertur, et caput



omnium Christus quotidie consecratur? Stabat ad aram Dei pudoris hostia, victima castitatis nunc capiti dexteram sacerdotis imponens, precem poscens, quæ ait parentibus: Quid agitis vos propinqui? quid exquirendis adhuc nuptiis sollicitatis animum? Jamdudum promissam habeo, sponsum offertis: meliorem, quàm alias reperiri possit, inveni. Quaslibet exagitate divitias, nobilitatem jactare potentiam prædicare, habeo enim cui nemo se comparare potest: divitem mundo, potentem imperio, nobilem cælo: si talem habetis, non refulo optiorem, si non reperitis, non providetis mihi parentes, sed invidetis. *Ambr. de vir. lib. 2.*

13. Claude vas tuum, ne unguentum effluat: claudere virginitatem, verecundia loquendi, et abstinentia gloriandi. *Ambr. de virg.*

14. Pulchritudinem quis potest majorem æstimare decore virginis, quæ amatur à rege, probatur à judice, dedicatur Domino, consecratur Deo. *Ambr. de virg. lib. 2.*

15. Virginitas in eo facilius est, qui carnis incentiva non novit, et viduitas in eo sollicitior, quod præteritas in eo recolit voluptates. *Hier. in epist. ad Eugen.*

16. Flos est virginitas, flos martyrium, flos actio bona. In horto virginitas, in campo martyrium, bonum opus in thalamo. *Greg. super Ezech.*

17. Virginitas altus mons est, ad quam angelus hortatur: sed qui videt se non posse ascendere, maneat in Segor, id est, in legitimo matrimonio, quia melius est mediocri bono uti, quàm per abrupta libidinum præcipitari. *Glo. sup. ill. Gen. 19. In monte.*

18. Virgo carne, non mente, nullum præmium habet in repromissione. *Isid. de sum. bon. lib. 2.*

19. Nunc nobis ad virgines sermo est, quarum quo sublimior est gloria, major est cura. Flos enim est ille ecclesiastici germinis, decus atque ornamentum gratiæ spiritualis, illustrior portio gregis Christi. *Cypr. in lib. de virg.*

20. Virginitas est soror angelorum, victoria libi-

dinum, regina virtutum, possessio omnium honorum. *Ibidem.*

Vide etiam in tit. Castitas, núm. 4. in tit. Conjugium, núm. 7. in tit. Maria, núm. 8, 13, 33.

### VIRTUS.

1. In hac vita virtus non est, nisi diligere quod diligendum est, id diligere prudentia est: nullis inde averti molestiis, fortitudo est: nullis illecebris, temperantia est: nulla superbia justitia est. *August. in epist. ad Mac.*

2. Virtus eò pluris æstimanda est, quòd plura contemnit. Magnæ virtutis est cum felicitate luctari, magna felicitatis est, à felicitate non vinci. *August. in quod. serm.*

3. Mens non potest habere regnum virtutum, nisi prius excusserit jugum vitiorum. *Ibidem.*

4. Non virtus est non posse peccare, sed nolle: atque ita tenere perseverantiam voluntatis, ut voluntas infantiam, usus imitetur naturam. *Ambr. sup. Lucam.*

5. Qui deficit sibi, ut virtuti adhæreat, amittit quod suum est, accipit quod æternum est. *Ambr. sup. Beati immaculat.*

6. Nulla sine labore virtus est, quia labor processus est virtutis. *Ibidem.*

7. Bonus circuitus est, si justitia quærit, prudentia invenit, fortitudo vendicat, temperantia possidet, ut justitia sit in affectu, prudentia in intellectu, fortitudo in effectu, temperantia in usu. *Ambr. de Offic.*

8. Omnes virtutes sibi ita cohærent, ut qui una caruerit, omnibus careat, qui ergo unam habet, omnes habet. *Hieron. in quadam epist.*

9. Philosophus, gloriæ animalis, et popularis auræ mancipium, totam simul sarcinam deposuit, et tu reputas in virtutum culmine positum, si partem ex toto offeras? teipsum vult Dominus. *Ibidem.*

10. Sicut quibusdam visum est, ut de primis quatuor virtutibus loquar: prudentia, temperantia, fortitudo

dine atque iustitia, quanto perfectæ sunt singulæ, tantò sibi sunt conjunctæ: disjunctæ autem perfectæ esse nequaquam possunt: quia nec prudentia vera est, quæ iusta et temperans, et fortis non est: nec temperantia perfecta, quæ fortis, iusta et prudens, non est nec fortitudo integra, quæ prudens, fortis et temperans non est. *Gregor. in moral.*

11. Mensuretur perfectorum fidelium vita per quadrum, et tantum habeat spiritualis atrii latus unum, quantum latera singula: quia unusquisque tantum prudens est, quantum temperans, fortis et iustus: tantum temperans, quantum prudens, iustus et fortis fuerit. *Greg. ho. 9. 2. par. sup. Ezech.*

12. Quid est virtus, nisi medicamentum? et quid est vitium, nisi vulnus? quia ergo nos, ubi de medicamento vulnus facimus, facit Deus de vulnere medicamentum, ut qui virtute percutimur, vitio curemur. *Gregor. in moral.*

13. Non est ad virtutem ulla talis exhortatio, qualis est peccatorum recordatio. *Hug. de scrip. sac. epist. ad Heb. ser. 23.*

14. Sicut virtus onerosa est vitio: ita virtutis amico vitiosa est amara voluptas. *Prosp. de vit. cont. lib. 2.*

15. Ethicam scripserunt gentium Philosophi, in qua quasi membra quædam virtutum de corpore bonitatis truncata pinxerunt: sed membra viva esse non possunt sine corpore charitatis Dei. *Chrys.*

16. \* Virtus nihil aliud est, quam in se perfecta et ad summum perducta natura. *Cicer. 2. de Leg.*

17. \* Qui virtutem pretio meliuntur, nullam virtutem sed malitiam putant. *Ibid. 1. de Leg.*

18. \* Nulla potest esse virtus nisi gratuita, namquæ voluptate, quasi mercede aliqua ad officium impellitur, ea non virtus, sed fallax imitatio, et simulatio virtutis est. *Ibid. 5. Tusc.*

19. \* Nesciunt multi, nesciunt, quantas vires virtus habeat, nomen virtutis tantum usurpant, quid ipsis valeat ignorant. *Ibid. Parad. 11.*

20. \* Sola virtus in sua potestate est, omnia præter eam subjecta sunt fortune dominationi. *Ibid. ad Heren.*

21. \* Virtus in tempestate sæva quieta est, et lucet in tenebris et pulsa loco, manet tamen, atque hæret in patria, splendetque per se semper, nec alienis nunquam sordibus obsolescit. *Ibid. pro Sest.*

22. Errare mihi videtur, qui dixit: Gravior est pulchro veniens è corpore virtus. Non enim ullo honestamento eget, ipsa magnum sui est decus, et corpus suum consecrat. Potest ex casa vir magnus exire, et ex deformi humilique corpusculo formosus animus, ac liber et magnus. *Sen. 67. epist.*

23. Æquè laudabilis virtus est in corpore valido ac libero posita, atque in morbido ac vinclo. Ergo ob tuam virtutem non magis laudaberis, si corpus tuum integrum fortuna præstitit, quàm si ex aliqua parte mutilatum: alioquin hoc erit, ex servorum habitu dominum æstimare. Omnia enim ista, quæ dominum casus exercet serva sunt. Pecunia, corpus et honores imbecilla sunt, fluida, mortalia, possessiones incertæ. Si hucusque perveneris, ut magis diligas integrum omnibus membris et illæsum, quam debilem et luscum, paulatim fastidium tuum eo usque procedet, ut è duobus æquè iustis et prudentibus, comatum et crispum malis. Sed quis unquam censuram inter filios agil, ut filium sanum, quàm ægrum magis diligat, procerum et excelsum, quàm brevem ac modicum? *Ibidem.*

24. Nulla possessio, nulla vis auri, et argenti, plurisquam virtus æstimanda est. *Sen. in epist.*

25. Unusquisque commendat virtutem, in qua viget et reprehendit vitium, in quo non deliquit. *Ibidem.*

26. Omnia beneficia in luce se collocari volunt, sed tamen nullum theatrum virtutis conscientia majus est. *Ibidem.*

27. Unum hominis bonum, ipsa virtus est, quæ inter hanc fortunam, et illam superba incedit, cum magno utriusque contemptu. Virtus rectorem ducemque desiderat, sed sine magistro vitia discuntur. *Seneca.*

28. Nulli non virtus et vivo et mortuo relulit gratiam, si illam bona secutus est fide. *Sen. 80. epist.*

29. Quemadmodum minuta lumina claritas Solis obscurat: sic dolores, molestias, injurias, virtus magnitudine sua elidit atque opprimit, nec magis ullam portionem habent incommoda, quam in virtutem inciderint, quàm in mari. *Sen. epist.*

30. Pone ex una parte virum bonum divitiis abundantem, sed in se omnia bene disponentem, utroque modo æquè vir bonus erit, etiamsi fortuna dispari ulatur. *Ibidem.*

31. Nulli præclusa est virtus, omnibus patet omnes admittit, omnes invitat, non eligit dominum, non censum, nudo homine contenta est. *Ibidem.*

32. Ille bonus artifex est, qui de omni materia facit optimum, quod fieri possit. Phidias statuarum artifex non tantum ex ebore statuas sciebat facere sed meliora ex ære: et si marmor illi adesset, et de illo similiter faceret. Si viliores materiam oblisset, ex illa fecisset, quale optimum fieri posset. Sic sapiens, si licebit, virtutem in divitiis explicabit, si minus, in paupertate quamcumque fortunam acceperit, aliquid memorabile ex illa efficit. *Sen. 89. epist.*

33. Scias eum multis virtutibus abundare, qui alienas amat. *Senec. in Prov.*

Vide etiam in tit. Bonum, núm. 1. in tit. Discretio, núm. 2. in tit. Divitiæ, núm. 25. in tit. Fortitudo, núm. 20. in tit. Gloria vana, núm. 16. in tit. Gratitude, núm. 12. in tit. Homo, núm. 31. in tit. Honor, núm. 8. in tit. Humilitas, núm. 16. in tit. Innocentia, núm. 7. in tit. Mors, núm. 3. in tit. Philosophia, núm. 7. in tit. Prosperitas, núm. 3. in tit. Tribulatio, núm. 2. in tit. Tristitia, núm. 7. in tit. Vitium, núm. 4, 5.

### VITA HUMANA PRÆSENS.

1. Longitudinem vitæ hujus sentiri non facit, nisi spes vivendi: nam nihil videtur esse celerius, quàm

quidquid in ea jam preteritum est. Quum ergo dies iudicii venerit, tunc sentient peccatores, quoniam non sit longa nimis vita quæ transit. *Aug. super Psalm. 6.*

2. Si toto tempore illo viveres, ex quo Adam de paradiso emissus est, usque in hodiernum diem, certè videres vitam tuam non fuisse diuturnam, quæ sic evolasset: unius autem cujusque vita hominis quanta est? adde quantoslibet annos, due longissimam senectutem, quid ergo? Nonne hora matutina est, ergo longè sit dies iudicii, quando erit retributio justorum et injustorum: tuus certè ultimus dies abesse non potest longè, adhuc te præpara: qualis enim exieris de hac vita, talis redderis illi vitæ. *Ibid. Psalm. 30. Adhuc pusil.*

3. Longam cœnam, malam nemo vult habere, nec ferre, longam vitam malam penè omnes volunt habere: utique si grande est quod vivimus, bonum sit ipsum grande. Quid enim vis male? dic mihi. Puto nihil in omnibus actionibus, cogitationibus, cupiditatibus nihil male vis: terram malam non vis, segetem malam non vis, utique sed bonam. Bonam arborem vis, equum bonum, servum bonum, amicum bonum, filium bonum, uxorem bonam: et quid hæc magna? quoniam quidem ipsam vestem malam non vis habere, sed bonam, caligam postremo non vis habere, nisi bonam, aut da mihi aliquid te velle quod malum est: solam animam vis habere malam. Quid te offendisti? Quid de te tu ipse meruisti? Non vis esse malum, nisi te solum. *August. in serm.*

4. Plenitudo est et beatitudo perfecta, ut citò quisque intelligat et bene vivat. Sed si fortè utrumque non potest, melius est bene vivere, quàm cito intelligere. Qui enim bene vivit meretur amplius intelligere: qui male vivit, et quod intelligit perdet. *August. de doctrin. Christia.*

5. Non est vera vita, nisi ubi feliciter vivitur, nec vera incorruptio, nisi ubi salus nullo dolore corrumpitur. *Aug. in quod. serm.*

6. Hæc est justitia hominis in hac vita, eleemo-

syna, jejunium, oratio: pœnitentia eruciat, justitia tranquillat, vita æterna glorificat. *Ibidem.*

7. Vita hominum media est inter vitam angelorum et peccatorum. Si vivit homo secundum carnem, peccatoribus comparatur, si vivit secundum spiritum, angelis sociatur. *August. super Joan.*

8. Tantis malis hæc vita repleta est, ut comparatione ejus mors remedium putetur esse non pœna, nam ideo brevem illam Deus facit, ut molestiæ ejus, quæ prosperitate vinci vel tolli non poterant, temporis exiguitate finirentur, denique sanctus Job dicit: *Militia est vita hominis super terram. Ambr. in serm. de 40.*

9. Nihil fugacius seculo, rebusque seculi, quas dum tenemus, amittimus: et per infantiam, pueritiam, juventutem, ac virilem et ingravescentem, ac maturam ætatem, annosque ultimos senectulis utique septem spatia. Philo vitam describit humanam, mutatur et currimus, nescientes ad mortis terminos pervenimus. *Isid. lib. 1. super Amos.*

10. Qui Dei æternitate perspecta, breve et penè ad puncti instar humanæ vitæ spatium cogitaverit, ante oculos suos habebit semper interitum, et erit humilis atque dejectus. *Hier. ad Ephes. lib. 2.*

11. Secreto Dei consilio agitur, ut hujus peregrinationis tempore electorum vita turbetur, *Via quippe est vita præsens*, qua ad patriam tendimus, et idcirco hic occulto judicio frequenti perturbatione conterimur, ne viam pro patria diligamus. *Gregor. in moral.*

12. Quot dies vitæ peragimus, quasi in itinere ad locum propositum tot passibus propinquamus. Præsentem vitam quasi viam subigendo transimus. *Ibidem.*

13. Mala vitæ præsentis tantò durius animus sentit, quantò pensare bonum, quod sequitur, negligit: nequaquam nos gratia in adversitate deserit: quia quo nos durius ex dispensatione percutit, eo amplius ex pietate custodit. *Ibidem.*

14. Reproborum mentes idcirco multa nequiter agunt, quia se hic vivere diutius arbitrantur. Justi vero dum brevitatem vitæ suæ considerant, elationis et immunditiæ culpas declinant. *Ibidem.*

15. Qui nihil habet in vita jucundius vita, is cum virtute vitam non potest colere. *Tull. lib. 2 Rhetor.*

16. \* Nemo est tam demens tamque parum de se cogitans, qui alienam vitam magis quam suam diligit. *Ibid. in vat.*

17. Humanæ vitæ conditionem primus et ultimus dies continet: quia plurimum interest, quibus auspiciis inchoetur, et quo fine claudatur. Ideoque eum demum felicem fuisse judicamus, cui et accipere lucem prospere, et reddere placidè contingit, medii temporis cursus prout fortuna gubernaculum rexit, modò aspero, modò tranquillo motu peragitur spe semper minore, dum et cupide volis extenditur et ferè sine ratione consumitur. *Val. Max. lib. 9 de me dict. c. 42.*

18. Nemo quàm bene vivat, sed quamdiu considerat, cum omnibus possit contingere, ut bene vivant, ut diu nulli. *Sen. 22. epist.*

19. Vita non est imperfecta, si honesta est. Ubicumque desines, si bene desinas, tota est, sed et fortiter desinendum est. Non est res magna vivere: omnes servi tui et animalia vivunt. *Sen. 78. epist.*

20. Quomodo fabula, sic et vita, non quamdiu, sed quàm bene acta sit, refert. Nihil ad rem pertinet, quo loco desinas, quocumque voles, desine: tantum bonam clausulam impone. *Ibidem.*

21. Dum differtur vita transcurrit, omnia mi Luculli aliena sunt, tempus tantum nostrum est. In hujus rei fugacis et lubricæ possessionem natura nos misit. *Senec. in epist.*

22. Læti dicamus, vixi, et quem dederat cursum fortuna, peregi: crastinum si adjecerit, læti recipiamus. *Sen. 22. epist.*

23. Quidam tunc incipiunt vivere quum desinendum est, imo quidam ante desierunt vivere, quam inciperent. *Sen. 28. epist.*

24. Pulchrum est consummare vitam antè mortem, et expectare securè reliquam temporis partem. *Sen. 52. epist.*